



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Devonii Oratoris Et Philosophi  
Ingolstadiensis Panegyrici Dvo**

**Turner, Robert**

**Ingolstadii, Anno M. DC. IX.**

Robertvs Tvrnervs Minvtio A Minvtiis S. P. D. Avgvstam. XX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69598)

quod cupiam magis, quàm hūc ornari, mea, tua, illius  
opera. Vale. &, quicquid est, rescribe.

---

ROBERTVS TURNERVS  
MINVTIO A MINVTIIS S. P. D.

AVGVSTAM.

XX.

**P**Rius amāram, quàm videram te, quanquam vt  
me indicem, vix videram te, cum cœperim cogita-  
re, vel te esse Minutium, vel ad tuam normam fictum  
esse eum, quem amabam, sed ignorabam Minutium,  
nam colores illi, quibus Minutium mihi pinxerat &  
polierat Beruitius, ita cōgruebant cum tuis moribus,  
vt planè statuerim vel Minutium esse Deū aulicum,  
vel te esse aulicum Minutium. illa lenitas vocis, faci-  
litas morū, ingenuitas vultus, consuetudo cum doctis,  
gratia apud omnes planè loquebantur eum, quē Ber-  
uitius prædicabat, sed tamē nec tam bene prædicabat  
ille, nec tam rectè diuinaram ego, vt auderem inuola-  
re in tuum sinum: ita sum vel natura subrusticus, vel  
disciplina non aulicus. nosti ex Cicerone, qui Cicerone-  
nem concoxisti, plus esse constantiæ in literis, quàm  
fronte verecundorum, nam quæ pudet mutire coram,  
illa literis non pudet exigere, & importunius effla-  
gitare, quare si fortè aduerteris importunum flagita-  
torē, concede humanitati tuæ, quod nolles fronti meæ.

nisi fortè tua humanitas velit ignoscere fronti homi-  
nis tam verecundè petentis, vt si tentes cor, iures le-  
porem. sed quid molestus sum excusando præsertim a-  
pud occupatissimum? res est de Protonotariatus ho-  
nore decernendo amico. cui? magno, docto, digno. re-  
liquas eius dotes loquuntur literæ ad Beruitium, qui  
si Augusta non sit, facio tibi copiam literarum ape-  
riendarum, rogoq; obnixè, quam rem orant, tua ope-  
ra vt exorent. non promitto magna, si in hac re te o-  
stenderit virum, nisi id sit fortasse magnum, me fore  
aliquando gratum. Vale, & me ama in hoc negotio.

---

ROBERTVS TURNERVS

IOANNI BERVITIO S. P. D.

COLONIAM.

XXI.

**Q**uid? egon' obliuisci tui? amici? sinceri? planè  
rusticum putas, qui hoc putas. sed ne hoc putes,  
nisi effecero his literis, vulnero te meis proximis. tan-  
tùmne? etiam perdo. nam nihil est in rebus humanis,  
quod pugnem vehementiùs, quàm ne vlla hereat in  
nomine meo aut rustica labecule, aut ingrata mentis  
suspicio. id illis paucis diebus, quibus mecum versatus  
es, nisi videras: neq; tam oculatus es, quàm optâram;  
neque tam prudens, quàm putâram. quare vt pro-  
bas te mihi oculatum, prudentem, fac sis posthac à te

7 4

literas.